


2/2000

KALENDIS AVGVSTIS

MM



RVMOR VARIVS



TOMVS 23

FASC. 133

PRÆFATIO

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur:

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr. 27.--
In ceteris Europae terris	sFr. 32.--
In terris trans marisa sitis	US\$ 30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA TVRICENSI, bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 300

Abonnementspreise (jährlich):

Schweiz	sFr. 27.--
Europa	sFr. 32.--
Übersee	US\$ 30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann, lic.phil.I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:
Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**,
Rosenweg 7, CH-8353 Elgg
INTERNET: www.aeschlicity.ch/rumor_varius
E-mail: info@aeschlicity.ch

Bankverbindung:

UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

Amicae et amici nostri!

Kalendis Iuliis in oppido nomine *Elgg*, quod in Helvetia ad orientem spectante inter urbes Vitudurum (Winterthur) et Gallopolim (St. Gallen) – sed Vituduro propius – situm est, nostrum concilium hornotinum collegii redactorum RUMORIS VARIII habuimus. In aedes '*aeschlimann publicity*', ubi sedes Societatis Latinae Turicensis ex nonnullis annis est, convenimus.



a sinistra parte: Stella Gitta, Udalricus Aeschlimann, Christine Meier, Daniel Weissmann

Illo die aestivo pulcherrimo sole radios calidos emittente hi socii sociaeque adfuerunt: Udalricus Aeschlimann, praeses societatis et RUMORIS VARIII

VARII conditor quasi pater, Christine Meier, quae impressum et dispositionem graphicam (Layout) curat et res ad subscribentes pertinentes administrat, Daniel Weissmann, moderator libellorum singulorum. Primum adfuit Stella Gitta, quam in collegium redactorum accepimus. Eius symbolas et aenigmata ludosque ingeniose compositos in libellis RUMORIS VARII iam publicatos certe non ignoratis.

Aliis negotiis officiisque impediti socii Barbara Maier, Martin Meier AMICUSque adesse non potuerunt.

Memoriam huius concilii imaginem photographicam in horto domus Udalrici Aeschlimann factam supra videtis.

Hoc in conventu etiam argumentum, cui libellum 5+6/2000 dedicare in animo habemus, constituimus et sine mora nuntiamus, ut satis temporis vobis sit ad symbolas scribendas et nobis mittendas. Agitur de re pulcherrima et gravissima societati et convictui hominum:

De amicitia

Philosophi, poetae, scriptores omnium fere saeculorum et populorum de hac re cogitaverunt et scripserunt, velut Plato, Aristoteles, Cicero (qui libellum titulo 'De amicitia' composuit), Seneca – ut perpauca tantum antiquos dicam. Sed nimis longa haec praefatio esset, si ceterorum celeberrimos tantum enumerarem. Nam ita est: Amicitia ad homines omnis aetatis pertinuit, pertinet, pertinebit.

Quid ergo vos, cari legentes, nostra aetate de amicitia cogitatis? Quid nobis scribetis? Quales et quantas symbolas nobis mittetis? Magna curiositate opera vestra exspectamus et speramus ea frequentia nobis missum iri.

Rogamus, si fieri poterit, ut vestras symbolas usque ad Kalendas Decembres mittatis. Ita fortasse illum libellum hoc anno divulgare possimus. Maximas gratias quasi anteceptas iam hodie vobis agimus!

Nunc autem et hoc libello et aestate gaudeatis!

Valete!



Daniel Weissmann

Aurea illa septem sapientium patera

Quam Thales paternam dedit Bianti,
dein mox ipse Bias suo removit
aspectu, timidus probe deorum,
confecto cyclico illa tunc meatu,
divo denique Apollini sacrata est,
ad quem unum utpote fama conveniret
perfecti sapientis atque honores.
Fingit Battiades (1) in aede quondam
Hipponacta (2) Serapidis gregatis
hunc casum exposuisse litteratis:
concordes fieri modo hoc volebat
illos, ingenio et minus superbos.
Quam prudenter agunt et abstinerent
docti, quos melior creavit aetas,
cum virtutis adhuc decus vigeret!
Vere tempora fulgida ac beata!
Si fiant eadem diebus hisce,
qua sunt indole nunc fere universi
elata artifices et arroganti,
ex auro pateram quidem invidentes
omnes acriter aemulis molestis,
luctantes rabido furore, malint
in fragmenta minuta pulveretur (3).

(Metrum: Catulli hendecasyllabi)

- 1) Agitur, ut inter omnes constat, de primo ex iambis a Callimacho compositis.
- 2) Liceat hunc vocabuli exitum Graeco more usurpare pro usitatioris 'Hipponactem'.
- 3) Pulvero, pulverare: id est in pulverem redigere: hac significatione adhibetur a Calpurnio Siculo Ecl. 5,88.

Orestes Carbonero

ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
5+6/99	109, l. 24 26	tutela civitati penetarere	tutela civitatis penetrare
	111, l. 14 21 112, l. 12	in regio phographata se viro dedet	in regione photographata se viro non dedet
1/2000	3, l. 10 8, l. 19	scripsist met<noian	scripsit μετάνοϊαν

SOLVTIO

aenigmatis '**Ne ad incita redegeris!**' libelli 5+6/99:
Sententia labyrinthica est:

"C. Plinius Gallo suo s.

Ad quae noscenda iter ingredi, transmitters mare solemus, ea sub oculis posita neglegimus."

Quacumque de causa permulta in urbe nostra iuxtaque urbem non oculis modo, sed ne auribus quidem novimus, quae si tulisset Achaia, Aegyptos, Asia aliave quaelibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta, lustrata haberemus.

Stella GITTA

SOLVTIO


Ecce solutio aenigmatis libelli 1/2000:

1	A	C	E	R	I
2	C	A	R	A	S
3	E	R	U	N	T
4	R	A	N	A	E
5	I	S	T	E	R

1. arbor quaedam (Dat. sg.)
2. amatas vel dilectas
3. neque erant neque sunt, sed
4. parvae bestiae virides in stagnis vitam agentes
5. magnus fluvius in Pontum Euxinum influens

Daniel Weissmann

COCHLEATIM



Ad sententiam restituendam:

A exterioribus ad interiores partes legendae sunt tantum litterae inter duas vocales et inter duas consonantes sitae

Estelle GITTA



PROVERBIALITER

1. Primum verbum est anni tempus vel viridis aetas
Secundum obtines si de aliqua via remotum est animal spinosum
Tertium est nummulus
Summa auditur ex ore parvulorum
2. Prius verbum est mater matris
Secundum est ager vel villa
Summa aquam e pumice postulat
3. Prius verbum est homo masculus
Secundum est aromatica resina
Summa stat in medio
4. Primum verbum est encliticum
Secundum est encliticum si interrogat, adverbium si negat
Tertium interrogat et negat
Summa est in cauda
5. Primum verbum pro "loquor"
Secundum est pronomen
Tertium est dimidia pars nymphae
Summa audaces iuvat
6. Prius verbum obtines si de aliquo plaustro remota est littera ultima
Ubi secundum, ibi evacua
Summa irreparabile fugit
7. Primum est alterum verbum pro "immortalibus"
Secundum est coniunctio
Tertium est animal ex asino et equa natum
Quartum invenis hac in sententia: "In re publica maxime conservanda sunt iura belli"
Qui nescit summam, nescit regnare
8. Prius verbum est unum
Secundum influit in Caspium mare
Summa furor brevis est

Stella GITTA

Facete lepideque dicta

Captivorum vigil: "Crastino die dentes optime purgetis oportebit, pueri, nam administer primus rei publicae cras veniet." Tunc Eduardus captivus: "Euge, tandem fraudulentus iste captus est!"

administer (primus), -tri (-i) (m): Minister(präsident), (Premier)minister

Iudex: "Quod parcometra dirupisti, te multae duorum milium francorum condemno. Num quid dicere vis, reus?" – "Certe volo, domine iudex: Licetne hanc summam nummulis solvere?"

parcometrum, -i (n): Parkuhr / nummulus, -i (n): kleine Münze; Plural: Kleingeld, "Münz"

Capitis damnatus interrogatur, num desiderium ultimum habeat. Ille: "Habeo. Si fieri poterit, affer mihi caffeam, domine carnifex." – "Cum saccharo aut sine saccharo?" – "Sine saccharo scilicet, diabeticus sum!"

caffea, -ae (f): Kaffee (Getränk) / carnifex, -ificis (m): Henker

Pater gloriatur factis, quae bello commisit. Tunc filius: "Pater, cui ceteri milites usui erant?"

Praeses associationis natatorae: "Nulla paemia accepimus, sed gaudeo, quod nemo nostrum submersus est."

Princeps Arabum petroleo dives factus filio: "Te e schola eiecerint licet, tibi cras novam emam."

Gulielmus autocineti iter per desertam suscepturus est. Cum stationem benzinariam quandam adeat, obstupens legit: "Benzinam hic emite, viatores, nam proxima statio benzinaria fata morgana est."

autocinetum, -i (n): Auto / statio benzinaria, -ionis -ae (f): Tankstelle / benzina, -ae: Benzin

Hannulus canem empturus ad canum altorem: "Hicne canis liberos amat?" – "Certe amat, sed equidem ei pabulum caninum dare malim."

Antonius et Petrus parvuli gemini sunt. Vesperi lectum adeuntes continuo rident, donec mater ex eis quaerat, cur semper rideant. Tunc Petrus: "Ridemus, quod Antonium bis, me autem non lavasti!"

Diurnarius senem centenarium interrogat: "Quam esse causam putas, cur centum annos natus factus es?" – Ad quae senex subridens: "Quod uno saeculo ante natus sum!"

diurnarius, -i (m): Journalist

Sacerdos missionarius in Namibia noctu strepitu obscuro e somno excitatur. Per tenebras vocem diram audit dicentem: "Ne moveas; si non, vir mortuus eris! Pecuniam quaesito!" Tunc missionarius: "Lucem accendere me sinas, quaeso, mi fili, nam in quaerenda pecunia tibi libenter adero!"

Ergasterii praefectus ad subditum sero ad laborem venientem: "Nonne in militia fuisti, domine?" – "Certe fui." – "Et quid tibi decurio dicere solebat, cum mane sero ad laborem veniebas?" – "Non multa dicebat, tantummodo *Bonum diem tibi exopto, domine centurio.*"

ergasterium, -i (n): Werkstatt

Diurnarius ex operario quaerit: "Quot homines in ergasterio vestro laborant?" – "Cum praefecto viginti quinque." – "Sine praefecto ergo viginti quattuor?" – "Non ita est, mi diurnari: Sine praefecto hic nemo laborat!"

ergasterium, -i (n): Werkstatt / diurnarius, -i (m): Journalist / operarius, -i (m): Arbeiter

Helmodus parvus preces vespertinas fundit. Magna voce adiungit: "Domine Deus, fac nataliciis ferriviam electricam accipiam, quaeso!!!" Mater reprehendit: "Cur ita clamas, Helmodule? Deus non tardus auribus est." – Tunc Helmodus: "Is non, sed avia, quae sedet in conclavi proximo."

nataliciae, -arum (f/pl.t.): Weihnachten / ferrivia, -ae (f): Eisenbahn


Vir iudici: "Iste homullus me camelum vocavit!" Iudex: "Quando hoc

factum est?" – "Biennio fere ante." – "Quid ais? Sed cur hodie tantum ad me venis?" – "Quod nuperrime prima vice camelum vidi."

Martin Meier

Polenta denuo in honorem adducitur

Cibus ille nominis polenta est puls calida et mollis, saporis optimi. Praeter castaneam vescam polenta alimentum maxime usitatum regionis Ticinensis Pagi Helvetici (*Ticino*) ducitur. Postquam America cognita est, zea mays (*Mais*) quoque in agris agrorum Ticinensis regionis (*Ticino*) colebatur et famem multorum hominum depellebat. Sed modus hic vivendi hominibus saepe detrimento erat. Ii, qui solum polenta vescebantur, morbo nominis pellagra vexabantur. Necesse esset polentae aliquid carnis vel oleris recentis addi. Plerisque hominum autem res angusta erat. Itaque cibum piscis sapore afficere conabantur frustum polentae pilchardo tangentes.



Polenta diligenter agitanda est

Ceterum Goethe poeta, qui sane polentam pauperum modo non capiebat, pulterem in maius celebravit.

Olla magna ad polentam parandam nobis opus est. Horam totam pulterem agitare debemus: utile vero est magnam copiam polentae parari. Hodie cibus celerrime paratus saepe polentae longae praefertur. Insuper praecipue zea mays ad pabulum aptum colitur.


Granum ad polentam parandam maxima parte ex Argentina importatur. Sed quidam agricolae illius regionis Ticinensis polentam semper in honore habent et novam farinam polentae fabricant et vendunt. Octo annos experimenta ad hunc finem facta sunt. Hodie polenta denuo originem suam a regione Ticinensi trahere potest. Iam 30.000 chiliogramma farinae e planitie nominis *Magadino* provenienti offerri possunt. Zea mais illa pistrino lapideo molitur. Hac ratione res validae, quae grano insunt, melius servari possunt.

Barbara Maier

De Romanorum litteris

Praeter notas litterarum publicas aliae notae apud Romanos usui erant. Saepe inscriptiones a suffragatoribus coloribus rubro nigroque in muris factae sunt.


Ecce inscriptionem Pompeiis inventam:



M(arcum) Holconium Priscum Ilvir(um)¹ i.d. (iure dicundo) pomari universi cum Helvio Vestale rog(ant)

1) Il vir = duovir

Documentum hoc voluminis fragmentum est, quod secundo p. Chr. n. saeculo legionariis Romanis usui erat:



Legimus haec:

Dati ab eodem praefecto Aegypti -*tum alia manu additur* - Valerius Tertius, Horatius Herennianus.

Barbara Maier

De bonis moribus

Sulpicius Verulanus poeta quinto decimo p. Chr. n. saeculo de bonis moribus haec scripsit:

Dum manducatis
Vultus hilares habeatis
Sal cultello capiatis
Membris rectis sedeatis
Mappam mundam teneatis
Modice sed crebro bibatis.

Barbara Maier

De ecclesiae catholicae annis sanctis

Relationis pars altera

Anno 1450°: Iubilaeum sanctorum

Hoc Iubilaeum indictum est a Nicolao papa V., primo papa humanistico, qui dicitur. Plurimi homines Romam confluebant, inter quos sancta Rita Casciensis et sanctus Antonius Florentinus, unde fit, ut Iubilaeum sanctorum vocetur. Praedictus sanctus Antonius Florentinus annum 1450um annum aureum nuncupabat, ut aptis verbis gaudium schismatis superati et redintegrationis recuperatae exprimeret.

Anno 1475°: Iubilaeum annus sanctus vocatur

Ex hoc anno vicesimo sexto quoque anno Iubilaea Christiana celebrantur, quae abhinc etiam anni sancti vocantur. Sixtus papa IV. eo anno indulgentias omnes extra Romam suspendit et ad peregrinos hospitaliter accipiendos multa aedificia Romae construi iussit.

Anno 1500°: Porta sancta in sancti Petri ecclesia patefit

Alexander papa VI., qui ceterum propter mores suos nimis malos et propter mundum inter Hispanos et Lusitanos divisum innotuit, novum ritum induxit, portam enim sanctam in sancti Petri apostoli ecclesia primum patefecit. Inde ab hoc anno ritus portarum sanctarum quattuor – sunt enim similes portae sanctae etiam in ecclesiis sancti Ioannis Laterani, sancti Pauli ante muros sanctaeque Mariae maioris – aperiendarum pars annorum sanctorum gravis facta est.

Anno 1525°: Iubilaeum magni periculi ecclesiae Europaeae

Clemens papa VII. ut annum sanctum celebravit, ita confusio in ecclesia magna erat: Martinus Luther anno 1517° ecclesiae reformationem, quae dicitur, initiavit propter abusum indulgentiarum¹. Itaque non gaudium praevalerat, sed perturbatio mentium. Duobus annis post Roma a copiis

Germanicis capta et vastata est. Papa ipse tantummodo virtute exercitus Helvetici servari potuit.

Anno 1550°: Iubilaeum tempore concilii actum

Quem annum sanctum Paulus papa III. praeparavit, sed Iulius papa III. aperuit et celebravit. Pari tempore concilium Tridentinum agebatur, quo ecclesia catholica abusus religiosos repugnavit et confirmata resurrexit. Incolae Romae magnam industriam in peregrinis pauperibus hospitandis adhibebant. Quod mors papae veteris et creatio novi interciderant, Iubilaeum sero patefactum et ea de causa usque ad epiphaniam anni 1551i distractum est.

Anno 1575°: Philippus Neri(us) peregrinos hospitandos curat

Spiritus novus, qui e concilio Tridentino emanaverat, hoc anno sancto iam sentiri poterat: Maxime serie Iubilaeum praeparabatur, novae viae constructae sunt, caupones iam anno 1573° rogati sunt, ne pretia pernoctandi et consumendi auferent. Gregorius papa XIII. a cardinalibus petivit, ut morem vivendi minus sumptuosum gererent, ne scandalon Christifidelibus praeberent. Sanctus Philippus Neri(us), scurra ille et sacerdos, peregrinos hospitandos curavit.

Anno 1600°: Immensa peregrinorum affluentia

Hoc anno sancto immensa peregrinorum copia Romam tendebat. Hoc factum esse dicitur propter ecclesiam catholicam tandem redintegratam, propter belli Europaei absentiam propterque hospitationem peregrinorum optimam.

Anno 1625°: Iubilaeum aegrotorum et captivorum

Interea pax iam rursus abierat et bellum triginta annorum exarserat (anno 1618°). Nihilominus Urbanus papa VIII. Iubilaeum aperuit, sed a peregrinis Romanisque petivit, ut preces non in ecclesia sancti Pauli extra muros funderent, sed in ecclesia sanctae Mariae trans Tiberim sita. Pestis enim in Italia meridiana saeviebat et timendum erat, ne Romam quoque inficeret.

Ceterum Urbanus papa VIII. ordinavit, ut aegroti captivique Romam eundi non potentes indulgentias anni sancti tamen accipere possent.

Anno 1650°: In annum sanctum ecclesia cathedralis restauratur

Bellum triginta annorum anno 1648° saevire desiverat. Homines superstites pace recuperata gaudebant et ad gratias agendas multi peregrinatores Romam tendebant. Innocentius papa X., ut vim ecclesiae catholicae pacificam demonstraret, et sancti Petri ecclesiam et ecclesiam cathedralem, i.e. ecclesiam sancti Ioannis Laterani, restaurari iussit.

Anno 1675°: Peregrini primum inter columnas celebres accipiuntur

Hoc anno sancto peregrini primum columnas celebres in platea sancti Petri sitas et a Berninio artifice creatas admirari potuerunt. Clemens papa X. Rosam Limanam primam incolam Americae meridianae canonizavit et primam dioecesim Americae septentrionalis instituit, dioecesim enim Quebecensem. Die Iovis sancto praesente Christina regina Suetiae duo+decim viris pauperibus pedes lavit et decem milibus (!) hominum cenam parari iussit.

Anno 1700°: Iubilaeum saeculi luminum

Novum saeculum saepe saeculum luminum vocatur, quod lumen mentis humanae his annis lucendo coepisse dicitur. Innocentius papa XII. Iubilaeum aperuit, sed, priusquam id claudere posset, defunctus est. Clemens papa XI. tunc creatus est. Inter peregrinos multos etiam Maria Christina regina Poloniae erat, quae pedibus nudis et veste paenitentis induta ecclesiam sancti Petri intravit.

Anno 1725°: Servi solvuntur

Hic annus sanctus specialiter a Benedicto papa XIII° formabatur, quod ille monachus Dominicanus piissimus praedicatores aetatis clarissimos Romam convocaverat, ut in ecclesiis Romanis verbum Dei praedicarent.

Ipsium persaepe orantem viderunt Romani. Trecenti septuaginta servi empti sunt, ut libertate nanciscerentur.

Anno 1750°: Iubilaeum crucum

Benedictus papa XIV. Christifideles invocavit, ut Iubilaei occasione data imprimis paenitentiam agerent. Per annum sanctum Romae quingentae septuaginta duae cruces positae sunt, quarum celeberrima in Colosseo.

Martin Meier

(Relationis pars tertia in proximo libello sequetur!)

DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN Theodisce scriptum ("Bahnwärter Thiel") et anno 1997 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

Narrationis pars altera

II

Mane aliquo mensis Iunii sub horam septimam Thilus labore finito domum revertit. Eius uxor salutatione vix finita coepit more solito lamentari. Locatio, qua familia usque nunc acceperat poma terrestria sibi necessaria, septimanis ante erat renuntiata, neque Lenae adhuc contigerat, ut inveniret rem, qua hanc iacturam compensaret. Quamvis officium agri curandi ad se ipsam spectaret, Lena verbis non parcebat, quibus Thilum etiam atque etiam accusabat, quod neminis nisi eius culpa effectum esset, ut hoc anno decem sacci pomorum terrestrium magna pecunia essent emendi. Thilus fremens tantum, Lenae sermonem parum respiciens, se contulit ad filii sui maioris lectum, quem noctibus, quibus non gerebat officium, cum filio communicabat.

Illuc delapsus miti facie sua curiose contracta puerum aspectabat dormientem, quem muscis molestis paulisper fugatis denique excitavit. E pueri expergiscentis oculis caeruleis demissis eminuit gaudium flebile. Qui pro-

pere apprehendit manum patris, dum anguli oris sui distracti sunt in subrisionem miserabilem. Custos statim adiuvit puerum pauca vestimenta induentem; tum subito vultus eius obumbratus est, cum animadverteret nonnulla vestigia digitorum buccae filii paulum tumidae impressa.

Cum ientarent, Lena etiam studiosius rediit ad rem oeconomicam antea memoratam: tum Thilus eius sermonem interrumpens enuntiavit a magistro ferriviae sibi gratis concessum esse agellum, quia idem illi, sicut dixisset, nimis remotus esset.

Quod Lena primo noluit credere. Paulatim et gradatim desiit dubitare, ut evidenter exhilararetur. Lena avide iterum iterumque e custode quaerebat, quantus et qualis esset ager et cetera, et cum accepisset insuper agro inesse duas arbusculas pomiferas, Lena gaudio paene deliravit. Cum nihil restaret quaerendum et tintinnabulum ianuae tabernariae (quod, ut obiter dicamus, omni in domo vici audiri poterat), non desineret tinnire, raptim profecta est, ut rem novam in viculum effunderet.

Cum Lena intravit tabernam mercibus abunde repletam, custos domi nihil faciebat nisi cum Tobia conversabatur. Puer eius genibus insidens ludebat nonnullis pinuum nucamentis, quae Thilus e silva secum attulerat.

"Quod officium vis gerere?" Pater sic interrogare solebat ut puer respondere:

"Velim fieri magister ferriviae." Quod Thilus non per iocum interrogabat, nam somnians sibi animo tanta fingebat, ut re vera optaret et speraret Deo adiuvante Tobiam evasurum esse hominem extraordinarium. Ubi primum illa verba 'magistri ferriviae' venerunt de parvuli labiis exsanguibus, quem scilicet nescivisse, quid significarent, Thilus vultum diffudit, dum renideret summa beatitudine.

"I Tobia, abi lusum!" brevi post dixit, cum fumaculum tabaci accendit ramento igne foci inflammato. Parvulus autem mox gaudio verecundo per ianuam se compegit. Thilus se exiit, cubitum iit, obdormivit, postquam per tempus quoddam lacunar conclavis humile et rimosum cogitabundus aspectavit oculis duris. Sub horam duodecimam meridianam experrectus se induit et, dum uxor clamans prandium praeparat, exiit ad viam stratam, ubi mox incidit in Tobiolum, qui calcem digitis e foramine muri scalptam sublabrabat. Custos manu comprehensa cum filio octo fere domos viculi praetergressus descendit ad Spraviam, quae nigra et vitrea

sita erat inter populos parum frondosas. Proxime ad marginem aquae fuit saxum graniticum, in quo Thilus consedit.

Omnes incolae viculi consueverant eum ibi conspicerem, si tempestas aliquatenus tolerabilis erat. Praecipue parvuli eum perquam dilexerunt, appellabant "Patrem Thilum" et ab eodem instituebantur variis lusibus, quos recordatus est se ipsum lusisse aetate puerili. Optimos autem omnium, quos recordatus est, destinabat Tobiae, cui ex ligno exculpebat sagittas; quae altius volabant quam sagittae aliorum puerorum. Cui exsecabat pipulas saliceas neque recusabat, quin voce sua fusca et aspera cantaret carmen incantatorium, cum corticem corneo manubrio cultri portabilis submitte pulsabat.

Homines reprobare solebant tales nugulas: non intellexerunt, quare ille tam enixe conversaretur cum parvulis lacticulosus. Sed oportuit illos contentos esse, nam parvuli sub Thili tutela bene custodiebantur. Praeterea Thilus cum iis etiam seria agebat, maiorum natu pensa scholastica audiendo probabat eosdemque adiuvabat in versibus bibliae et libri cantionum ediscendis et una cum minoribus singulas litteras recitabat: "ab, a-b, du du" et cetera.

Post prandium custos iterum breviter cubabat. Meridiatione finita cafeam merendae bibebat et brevi post se praeparabat ad officium gerendum. Ad hanc rem, sicut ad omnes res gerendas, custos egebat multo temporis, omnem motum manuum ex annis exercuerat; semper eodem ordine res in armariolo nucino diligenter dispositas, cultrum, adversaria, pectinem, dentem equinum, vetus horologium capsulae inclusum, in vestium sacculos ingerebat.

Parvum libellum rubra charta involutum peculiari cum diligentia tractabat. Quem nocte sub cervicali positum habebat, in nota, ductu litterarum inhabili, sed ornato, manu Thili scripta erant verba: "Tobiae Thili libellus comparsorum".

Horologio parietali, quod erat pendulo longo cifrarumque lamina icterina instructum, indicata erat hora quarta cum dodrante, cum Thilus proficisceretur. Parva lintre, quam possedit, flumen transvectus est. In ripa Spraviae ulteriore aliquoties in loco constitit auribus in viculum retroversis. Denique gradu in latam semitam silvestrem flexo paucis minutis post Thilus fuit media in foreste pinuum graviter obstrepenti, cuius multitudo acicularum similis erat livido mari undoso. Umidos muscos et aciculas solo

silvestri instratas inaudibiliter quasi materiam coactilem transgressus est. Invenit viam oculis non sublatis, hic per columnas silvae altae ferrugineas, illic perrexit migrare per ligna iuvenilia arte inter se complexa, etiam per culturas arborum latas, singulis pinubus altis et proceris obumbratas, quae relictas erant ad prolem tutandam. Ex humo exhalabatur nidor caeruleus, pellucidus, variis fragrantibus impraegnatus, ut formae arborum viderentur dilutae esse. Caelum erat grave, lacteum, ad arborum cacumina valde demissum. Cornicum agmina quodammodo balneabant in aere cano, indesinenter crocitantibus atque crepitantibus. Salebrae nigris lacullis aquaticis completas turbidam plagam caeli reddebant etiam turbidiorum.

'En horrendam tempestatem', Thilus cogitavit, cum multis secum animo volutatis excitatus suspexit.

Sed subito mens eius ad alia abducta est. Thilum suboluit se aliquid domi oblitum esse. Revera sacculis perquisitis desideravit quadram panis butyratam, quam propter tempus officii longum secum ferre necessarium erat. Dubia mente aliquantisper in loco constitit; tum subito conversus in vicum properavit. Brevi Spraviam assecutus, transvectus, sudore perfusus statim ascendit ad stratam viculi paulo acclivem. Vetus sordidus canis aquaticus tabernarii media in via cubabat. In saepimento planearum picato casulae rusticae sedebat cornix nebulosa. Quae pennas dilatavit, quassa est, capitis motu nutavit, crocitantibus sono aures perstringenti, surrexit plausu alarum sibilanti, ut vento propelleretur versus silvam.

Nemo incolarum parvae coloniae, viginti fere piscatorum et operariorum silvestrium cum familiis suis, est conspectus.

Silentium voce clamosa tam vehementer atque stridule interruptum est, ut custos invitus cursum sisteret. Soni inepti et asperi vehementer erupti aures eius offenderunt; qui venire visi sunt e fenestra fastigii aperta domunculae humilis ei admodum bene notae. Sonos graduum deminuens, quantum potuit, clam appropinquans nunc prorsus distincte cognovit vocem uxoris suae. Paucis etiam gradibus cum accessisset, praerique verba mulieris intellexit.

"Quid tu, furcifer, immisericors, crudelissime, vin' tu infantulum miserimum famelicum clamando ramices rumpere, quid? - heus, exspecta, te docebo, quomodo attendas, ut recorderis!"

Per nonnulla momenta temporis silentium erat; tum sonus auditus est similis vestimentis expulsandis; postea statim erupta est nova grando maledictorum.

"Tu miserabiliter lacticulose" celerrime domo clamatumst "censen' me sinere pupillum a me partum fame perire propter talem beluam, qualis tu es?" - "Opprime os!" clamatumst, cum audiretur vagitus submissus, "aut accipies tantum, ut doleas per octo dies."

Nec desitum est vagiri.

Custos sensit cor suum palpitare carptim et graviter. Coepit submisso tremere. Oculi eius in solo defixi erant, quasi esset mente alienatus, antiae madidae compluries sunt semotae manu dura et compacta.

Gradibus temerariis custos intravit andronem domus angustum, lateribus stratum. Fatigatus lente ascendit per scalas ligneas crepitanter.

"Phy, phy, phy!" perrectum est clamari; simul auditus est aliquis ter cum omnibus signis contemnendi exspuens. "En te puerum miserabilem, insidiosum, versutum, malignum, ignavum, impudentissimum!" Quae verba unum aliud secuta sunt accentu augescente, voce verba edente interdum labore scissa. "Vin' tu caedere filium meum, quid? Tun' pubeda perditte audes miserum infantem inopem alapare? - quid? - heus, quid? - Caveo tantum, ne inquiner tui causa, alioquin -..." Hoc momento temporis Thilus aperuit ianuam mediani, quo mulier territa finem sententiae modo inchoatae devoraret. Quae ira incensa erat creta pallidior; cuius labia maligne palpitabant; dextram sublata demisit et apprehendit ollam lactis, quo conabatur lagunculam infantis complere. Tamen ab hoc labore destitit semiperacto, quia maxima pars lactis secundum collum lagunculae in mensam fluxerat; ut erat commotissima, sui prorsus non compos modo hoc modo illud comprehendebat nihilque diutius retinebat; tandem animum ita collegit, ut vehementer in maritum inveheretur, quid hoc sibi vellet, quare domum veniret tempore tam insolito, num suum sermonem clam aucupare vellet. "Hoc" inquit "esset pessimum", addens suam conscientiam bonam esse neque sibi coram quocumque oculos esse demittendos.

Thilus vix audivit verba uxoris. Obiter oculis perstrinxit Tobiolium lacrimantem. Momento temporis visus est retinere orientem sensum animi horribilem; tum vultus adductos lentitudine animi sui inveterata subito remisit, oculis claudens cupidine emicantibus mirum in modum

animatus. Per atomos `temporis lascive aspexit torosa membra uxoris, quae facie aversa adhuc hic illic agitans studuit animum colligere. Mulieris mammae uberes seminudae excitatae ita intumescebant, ut thoracium fere dirumperetur, et gunnis mulieris sublatis coxendices latae visae sunt etiam latiores. Huic mulieri videbatur quaedam vis esse inxsuperabilis et inevitabilis, cui Thilus sensit se esse imparem.

Vir circumnexus est re tam levi quam tela araneae, tamen tam firme ei circumvoluta quam rete ferreum, lassans, vinciens, vincens. Quo in statu nullum prorsus verbum ad eam facere potuit, minime autem asperum; quo factum est, ut Tobias lacrimis perfusus et anxius in angulo sedens videret patrem se non respicere, sed pro eo, ut responderet, quadram panis domi negligenter relictam de scamno fomacis sumptam matri obtendere et capite breviter demisso mente alienatum abire.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars tertia in proximo libello sequetur!)

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve
in libello 1/2000 RUMORIS VARII publicatum est!

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenk-abonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg


PP/Journal

4702 Oensingen

2/2000

KALENDIS AVGVSTIS

MM



RVMOR VARIVS



TOMVS 23

FASC. 133